

modo descendens venasq; uteri attingens magnam pectoris & mamma-
rum efficit consensionem.

Tertius est brachii, circa ingulum duplex, quorum unus in sinistrū,
alter in dextrum tendit brachium: Uterq; rursus triplices continet rā-
mos. 1. est vena c axillaris, aliàs basilica & iecoraria dicta, quæ sub axil-
lis per inferiorem brachii partem ad manum usq; extenditur. 2. Est Ce-
phalica, Hippocrati externa, aliis humeraria, eò quod ab humeris pro-
diret, vocata; ab hac ramus in manum porrigitur inter pollicem & in-
dicem situs, qui in affectibus cerebri secatur, inde & capitis vena appel-
lari consuevit. 3. Communis, quod partim cum basilica, partim cum
cephalica consentiat, sive mediana, quod in brachii medio sita sit, & ni-
gra, quod magis conspiciatur, à medicis nominatur; ab hac inter auricu-
larem & annularem digitum exit vena, quam Arabes salvatellam
vocant, eò quod saluum faceret lienem, in cuius obstructionibus, melan-
cholicis affectibus & quartanis febribus frequenter scindi solet.

c Vesal. libr. 3. c. 8. & reli-
qua iam cita-
ta loca,
Fernel. lib. I.
ca. 110.

Quartus in ascendente vena ramus est capitis, qui in uno tan-
tum latere unus & magnus existit, ut sanguine suo caput singulasq; par-
tes capitis nutriat: cum enim præterit collum, uterq; ramus in surculos
penè innumeros per omnes capitis partes disseminatur.

THEOREMA VII.

Alter per lumbos ad pedes usq; descendens
ramus, cum epate exit, vertebris adhæret, & vari-
as emittens venulas partes vicinas sustentat: Re-
liquus huius descendens truncus in primam &
secundam partem potissimum dividitur.

~~In hoc descendente ramo variæ se rursus offerunt subdivisiones, quas
omnes exquisitè pensitare non iam temporis esse autumamus; remittimus
igitur has querentem ad anatomicos d satis dilucidè eas enumerantes: In-
terim & nos quod nostrarum est partium faciemus, & primarias paucis
attingemus ponderantes primæ & secundæ partis venas prodeuntes. Ex
illa autem quæ sub diaphragmate incipit & ad quartam lumborum ver-
tebram desinit utring; venæ emulgentes in renes inseruntur, ut nutri-
mentum & sanguinem vehant & quasi emulgeant, quarum una in de-
xtero latere, altera in sinistro inæquali tamen posita, sita est: Circa re-~~

d Gal. de dis-
sect. ven. c. 8.
b & 13. anim
c. 19. & Haly.
2. theo. c. 12.
Vesal. lib. 3. c.
9. 10. & 11.
Auic. libr. 1.
Fen. 1. doct. 5
c. 5.
Laur. lib. 4. c.
5.
Fernel. lib. I.
c. 11.

B

nes ve-